

Explicatur his verbis, quo jure Virgo misericordiosissima, olivæ assimilatur speciosæ in campis frugiferis; ob olei profectò copiam & effusionem copiosissimam; ob eximiam nempe illius clementiam & pietatem in hominum genus exuberantem.

Mofaici Rubi visio expenditur.

Exod. 3.

1835 Sed redeo ad Deiparæ spectrum oculis oblatum Nolasci. Certè adumbratum illud reor per Rubum illum divino igne correptum & non absumptum, in quo Deus seipsum præbuit Moyfi spectandum, Exod. 3. Apparuit ei Dominus in flamma ignis de medio rubi, & videbat quòd rubus arderet & non combureretur. Indubium est, eò devenisse Deum, ut cum Moyse ageret de liberandis Hebræis injustè diu oppressis Ægyptiacâ captivitate. Sed quare ut suos captivos redimat, è rubo senticoso, ardenti, & incombussto apparet? Cur inter spinas Deus? Num cum captivo populo aculeos duræ captivitatis subibat ipse etiam? Sic fortè excogitabit quispiam Davidem auscultans 2. à Reg. 7. 23. Redemisti tibi ex Ægypto Gentem, & Deum: qui enim redemptum ex Ægyptiaca captivitate Deum dicit, captivitati quoque subiavisse affirmat. Benè hoc fit, & bono quodam sensu; ut ostendatur Deus, pro innata sibi misericordia, non minùs durâ suorum captivitate, quàm ipsi propriâ indoluisse: & ut palàm fiat, eos, qui captivis redimendis propter Deum incumbunt, Deum ipsum quodammodo è servitute in libertatem asserere. Quid gloriosius, quàm Deum piissimè captivum piè redimere?

Deus captivum cum populo captivo. 2. Reg. 7. 23.

Deipara per Rubum designata, & de captivorum redemptione sollicita.

Theodotus Ancyr.

1836 Adhuc tamen disquiras: quid magnificum rubus ille spondeat & portendat, quod redimendis captivis deserviat, & spem illis faciat optatissimæ libertatis? Communis est & Ecclesiæ, & Patrum existimatio, rubo illo fuisse præfiguratam Virginem Matrem; igne autem præclare splendente, nec rubum confumente, uniendam in Utero Mariano cum humana natura Divinitatem representari. Unum audias Theodotum Ancyr. Episcop. in Homilia quadam ad Ephesinam Synodum habita. Nonne Virginem in rubo animadvertis? Rubus itaque Maria expressa fuit similitudo. Si ergo vilem illam arbutulam ita Deus ipse olim infudit, ut eum illi splendorem, eam gloriam, eam mirandam integritatem induxerit; qua, quæso, ratione Virginem nostram obsederit, aut potiùs possederit? Quem illi nitorem, quam puritatem, quam lucem intulerit, quando eam ita ab omni peccati affectione immunem præstitit? Nempe cum de captivis, redimendis Deus studiosè agit, dum de peragenda libertate sedulo Moyfi ministerio, quem creavit Redemptorem, sive Corredemptorem suum; non nisi per Mariam, quæ figuratus est miraculosus rubus, id præstare voluit. Ut appareat uni, vel adumbratæ, Virgini Deiparæ acceptam esse referendam captivorum redemptionem; utpote Redemptrici, quæ libertatem miserorum urgebat & expostulabat. Inde S. Joan. Damasc. Orat. 2. de Assump. loquens de Moyse electione in captivi populi Redemptorem: Per simulachrum, & umbram Maria tantus legislator & Princeps creatus est. Unde non nisi Deiparæ Mariæ umbra (id est, foveore sua Maria) comitatus Moyses captivum populum redemit; juxta illam ipsius Dei vocem apud Michæam 6. 4. Eduxi te de terra

S. Damasc.

Michæ. 6. 4.

Ægypti, & de domo servitutis liberavi te; & misi ante faciem tuam Moysem, & Mariam.

1837 Ergo, quis non videat in ea Moysis visione quoddam quasi præludium earum rerum, quas cum Nolasco, & per Nolascum, commilitonesque ejus, Deus egit & peregit gloriosissimè, auspice Matre Virgine sanctissima? Etenim, ut Mercedensem Ordinem crearet captivorum redemptioni addictissimum, & Nolascum constitueret primum ex ea sacra Familia Redemptorem, Legislatorem, & Principem; id non nisi per simulachrum, & umbram Mariæ; fatius dixerim, non nisi per divinissimam tantæ Virginis præsentiam, fieri voluit, ut felicissimè, & fortunatissimè fieret. Virgo itaque Deipara divino tota circumfusa splendore, tota candore eximio conspicua, verè figuratus Moysis rubus ardens & non combustus, Nolasco apparet; cum quo de captivis redimendis solerter agit; huic uni præsertim operi ut novus Ordo enixè incumbat, & insudet, studiosè tractat; atque eapropter suum illi nomen munificè indulget, nempe Sanctæ Mariæ de Mercede. Sic Nolasco Maria, torique ejus Familiæ, captivorum redemptionem, iniecit, studium illud fortunatissimum captivos redimendi, quo Mercenarienses Religiosi flagrant. Ut enim Bernardus aiebat in Sermon. de verbis Apocal. Eva suggestit pravariationem, Maria iniecit redemptionem. Sic humana redemptio solerti Deiparæ industriâ, & novâ negotiatione muniebatur, succiebatur. Quid enim aliud unâ cum Filio Redemptore Virgo ipsa Redemptrix apud Patrem solertiùs tractat, & negotiatur? Dividunt coram Patre inter se Mater & Filius pietatis officia, & variis allegationibus munium redemptionis humanæ negotium: ajebat sciitissimè Arnoldus Carnoten. Tract. de laud. Mariæ. Et de Maria ajebat rectissimè S. Damascenus Orat. 1. de ejus Nativitate: Ex qua Rex gloriæ, carnis purpurâ convestitus, ad captivos se conferens remissionem prædicavit.

S. Bernar.

Carnoten.

1838 Et quidem, vel eo ipso quòd Virgo se totam dedit suæ Mercedensi Familiæ in singularem Patronam & Fundatricem, dedisse ei redemptionem ipsam, pro liberandis captivis, jure merito dixerim. Sic Deiparam appellant S. Basilus in Sermon. de Annunciat. Hac est redemptio nostra. Et à S. Epiphanio Sermon. de ejus laudibus nominatur Redemptio captivorum. Nec mirum, hominum sit redemptio, si bono quodam sensu extat vel ipsius Dei redemptio. Dicam qua ratione. Humanum genus, magnum debitum ex peccato contraxerat, quòd cum Deo persolvere non posset, captivitatem incurrit. Misertus Filius Regis, Verbum nempe divinum, pro captivis sponddit Deo Patri, factusque est fidejussor illius, cujus erat conditòr, neque tamen habebat unde solveret. Instat Pater illis Salomonis verbis Proverb. 6. 1. Fili mi sponddisti pro amico tuo, defixisti manum tuam, allaqueatus es verbis oris tui, & captus es propriis sermonibus. Alii transferunt: infixisti in catenam manum tuam: Quasi dicat: Captivus eris, & catenis constrictus, donec redemptionis solvas pretium. Quid faceret fidejussor divinus, qui unde solveret non habebat? nam stipendia peccati mors, & peccati retributio pœna est; pœnas verò impatibiles pati non potest. Quid ergo faciat æternum Verbum

Maria Redemptio captivorum.

Maria vel Dei ipsius corporati pœna redemptrix.

Prov. 6. 1.

Verbum

Verbum, quod quasi captivus in vadimonii vinculis tenebatur? Respondet S. Thomas de Villa nova (cujus est totus hic discursus) in Conc. 1. de Mariæ Assumptione. Venit igitur ad Virginis mensam, & inde numerosam pecuniam accepit, quam redderet creditori: accepit namque carnem, unde Patri redderet tota pretia peccatorum. O quam benè numeratam pecuniam creditori dedit super Crucis mensam! quot flagella, quot alapas, quot punctiones, quot vulnera, quot injurias, quot lacrymas, quot tormenta; denique atrocissimam mortem! Ecce captivi pretium, quo solutus est ab ergastulo. Pretium ergo redemptionis Mulier exsolvit, sed hæc Mulier illi dedit unde solveret. Ipse Redemptor est, sed ab illa accepit unde redimeret. Etenim, Redemptor Christus est, sed per Matrem, per quam ab sponsione sua, cui de pietate fuerat defixus, piissimè redemptus; cum illi dederit pretium redemptionis; humanam scilicet naturam tormentis & morti obnoxiam; quæ Divinitati hypostaticè unita, preut est infiniti: pretium autem hoc Marianæ commisit dispensationi. Ut enim Bernardus Sermon. in Nativ. B. Virg. de Aquæductu: Redempturus humanum genus, pretium universum contulit in Mariam. Habet igitur Mercedensis Ordo, dum Mariam nactus est singularem Patronam & fundatricem, habet quidem & redemptionem ipsam, & pretium redemptionis pro Christianis captivis redimendis. O felicissima! O terque quaterque beata Familia, quæ ingenio Marianæ misericordiæ architectata es; ut in te mystica misericordiæ oliva pulchra, speciosa, viridis, florens & frugifera, mirum in modum sublimaretur!

S. Thom. Villa nov.

In Mariae tunc redemptionis pretium.

Deiparam ab infami originalis culpæ captivitate immunem conuatur ab institutione sua Mercedensis Ordo.

1839 Profectò, cum Virginem dispicio instat olivæ sublimatam; tam egregius Redemptricis & redemptionis operibus adeò intentam; cum captivorum libertati tantopere incumbentem per Mercedensis suæ Familiæ ministerium; Vel ex hoc capite immunitatem illius ab infami originalis delicti captivitate animadverto, ac deprædico. Qui enim fieri potest, ut serva peccati fuerit, & Tartarei Draconis captiva, necdum ad breve temporis instans, quæ captivorum hominum, imò quodammodo ipsius Dei, futura erat redemptio, & redemptrix? Inde Ecclesiæ Proceres sanctissimi, & Theologi Scholastici valde probant Marianæ Conceptionis mundiciem: inde totus Mercenariorum Ordo eandem ab omni labe semper liberam contutatur, deprædicat, proclamatur, ex prima quidem institutione sua, & ex Deiparæ revelatione, utraque illa supra commendata. Nam sacrum hunc Ordinem ad immaculatæ Virgineæ Conceptionis gloriam fuisse institutum, multi jure arbitrantur: eò enim spectasse putant candidissimum Religiosorum amictum, ut Mariæ candidissimam & purissimam testarentur Conceptionem. Unde in Constitutionibus ejusdem Ordinis Distinct. 1. cap. 10. scriptum reperias: Fratres nostri vestes laneas, & omnino albas semper & ubique ferant. Rationem reddit Scholium vetus:

In memoriam immaculatæ Conceptionis Deiparæ Virginis Mariæ. Quasi perinde sit, captivorum redemptioni fuisse intentos Mercedenses ex Matris Virginis præscripto, atque ejusdem Virginis immunitati propugnandæ, ac dilaudandæ addictissimos esse.

1840 Certè, speciosa olivæ symbolum in campis conspicua, illam præ se fert Marianam immunitatem. Recolenda sunt, quæ in enodatione textus supra observavimus de olivæ dubus. Nempe amat plantari (ut frugifera sit) in loco mundissimum, purgatissimo, ab omni extranea plantatione exempto. Quod ad originariam Deiparæ plantationem spectat quàm mundissimam, atque à peccati alieno semine immunissimam. Scilicet divinæ Sapientiæ arbor plantabatur (sapientiæ enim hieroglyphicum olivam esse, jam statuimus) non stultæ illius Evanæ; imò evanidæ argutiolæ adulterina planta: nam Mariam non illa tangunt communia: Homo, cum in honore esset, non intellexit. Certè Gregorius Neocæsariensis cognomento Thaumaturgus in Sermon. de Annunc. de Maria sic pronunciat: Hæc in domo Dei, instar Thaumaturgæ olivæ planta. Græcè pro plantata est ποσειδωνία, à ποσειδω, id est, planto, & per metaphoram gigno, procreo. Igitur ex mente Thaumaturgi B. Virgo progenita & procreata est intra domestica Divinitatis sepra, quæ sancta, quæ mundissima dixit David Pl. 92. 5. Domum tuam decet sanctitudo. Et Pl. 64. 6. Sanctum est Templum tuum. Et quidem ab ipsa originaria plantatione olivam nostram florescentem asserit S. Damascenus Orat. 2. de Assumpt. dum illam dicit perpetuò vernantem, ac pulchrum fructum proferentem olei spiritualis olivam. Perpetuò vernantem signatim dixit, utpote quam non virore, non flore unquam, non fructu nudam putarit: nempe semper Mariam mundissimâ onustam Sapientiâ S. Doctor intellexit. Herodotus lib. 4. pag. 119. & ex illo noster Caufinus lib. 10. de symbolis cap. 11. observant, Theram insulam per annos septem pluvii caruisse. Ex quo in torridi cæli inclementia, omnibus plantis arescentibus, una incolomis remansit, & virides ramos explicans inter cæterarum incendia, gratissima juventute pubescere visa est. Et cap. 51. refert ex Softrato Byzantino apud Achillem Tacium, locum Byzantii fuisse, & in eo olivam, quam stupendo prodigio dicitur imber igneus fecundasse. Melius hæc in nostram calessem plantam (sic Virginem appellat Bernardus Sermon. 2. de Adventu) in nostram semper vernantem olivam inter originalis peccati incendia. Aderat quippe illi divinus Spiritus sancti ignis, qui oleam nostram ab ipsismet radicibus, primaque corripuit plantatione: quod in rubo ardenti & non combusto (Deiparæ typo) observavit Philo lib. 1. de Vita Moyse. Rubus, nemine ignem admovente, subito incensus est, correptusque totus à radice usque ad cacumen, flamma in morem fontis scatentes quasi ab igne aleretur. 1841 Haud omittendum epitheton olivæ, quæ speciosa à Siracide appellatur: Quasi olivæ speciosa. Græcè, elegans, decora. Ad quæ verba Idiota doctissimus in lib. Contemplat. de B. Virginec. 3. sic fatiur: Species olivæ Idiota consilii,

Speciosa Oliva symbolum ad Mariam spectat peccati originem.

Pl. 92. 5.

Pl. 64. 6.

S. Damasc.

S. Bernar.

Philo.

Olivæ speciosa.

Idiota.



Maria ori- gularia pul- chritudo.

consistit, inter cetera, in viroris amenitate: sic tua species, & Beatissima Virgo Maria, consistit, inter alia, in fidei sinceritate: & sicut viror pacifera oliva delectat oculum corporis, sic fides tua, qua pacem inter Deum & hominem reperit, delectat oculum mentis. De originaria loquitur gratiae pulchritudine, qua perpetuo vernavit Deipara; ideo eam vocat saepe eo capite, totam pulchram in Conceptione; & absque macula peccati originalis. Sed illud signatum preme, in quo maxime Virginis pulchritudinem, speciem, decorem, elegantiam promicare Idiota existimat: fides tua, qua pacem inter Deum & hominem reperit: alludens quidem ad vulgare pacis symbolum, quae est oliva; cujus furculus, columbae rostro ad Noe, post diluivium, delatus, pacem hominum cum Deo significavit. Etenim, fides in viatore sanctitatis est fundamentum; & B. Virgo jam inde a primo, per Conceptionem suam, in mundum ingressu, viatrix erat, & sancta: hoc ergo primum posuit suae sanctimoniae fundamentum, firmam nimirum fidem in Deum conditorem, atque in Christum servatorem. Et jure quidem optimo nova Eva justitiam & sanctitatem a perfectissima fidei pulchritudine exorsa est, ut veterem emendasset Evam, quae ab infidelitate peccatum occiepit: namque Evae, sicut & Adami, primum peccatum, praeter superbiam, infidelitatem etiam constituisse, multi Ecclesiae Doctores disertè docent. Unde Irenaeus, dum Mariam ab Eva dispescit, ita loquitur lib. 3. adversus Haereses cap. 33. Quod allegavit virgo Eva per incredulitatem, hoc Virgo Maria solvit per fidem. Sic enim plures alii ex Patribus, utramque inter se Evam conferentes, Mariae fidem perfidia veteris Evae ita opponunt, ut pulchram secundae Evae fidem ipsi profuisse doceant quominus prima Evae perfructu unquam tangeretur. Lege Augustinum Sermone 21. de Tempore, Maximum Laurientem Episcop. in Epist. ad Amicum aegrotum de Viro perfecto, Rupertum libro 2. in Cantica, sanctum Amedeum in Hom. 2. de Justificat. B. Virginis. Hac igitur originaria fidei suae pulchritudine opposita primo originalis perfidiae peccato, pacem inter Deum & hominem reperit Deipara sanctissima, quasi oliva speciosa, decora, elegans: ut vetus illa Noëna oliva, cui (dum pacem inter Deum & homines annunciabat) non potuerunt nocere diluvia, ut Ambrosius ajebat lib. de Noe & Arca capite 19. Rectè de illa sanctus Basilus Seleuciae Episcop. in Sermone de Incarnatione. Ave, qua inter Deum & homines mediatrix intercedens efficit, ut interjectus inimicitiae paries evertatur, terrenaque caelestibus conjungantur.

Veterem sic emendavit Evam infidelem.

S. Irenae.

S. Amb.

S. Basili. Seleuc.

Antiqua revelatio, de Originaria Deipara.

Reverendissimus Episc. D. Melchior Rodericus Torrensis in lib. quem inscripsit, Agriculturae animi; Clarissimus ac doctissimus Mercedens D. Martinus Carillus Abbas Montis Arragonis in Annalibus & Monumentis Chronologicis libro 5. Ann. Dom. 1418. subscribens etiam Raymundo libro 9. capite 18. & 19. ea porro sic habet:

1843 Beatus & gloriosus Dei Confessor Hieronymus Carmellus ex sacro Mercedensium Ordine, natione Italus, ex Regione Pedamontana; Vir, praeter sanctitatem, Theologiae ac Juris Pontificii peritissimus, cum vehementer confisteretur, ob crebrentia in dies dissidia propugnantium, atque impugnantium Deiparae immunitatem, adiecit & ipse animum, uti Reginae caeli honori suppetias, pro virili, conferret. Itaque Canticum Canticorum exponendum omni litteraturâ instructissimum aggredditur, divinâ fretus bonitate, fore, ut pro illa, qua ipse apud Populares opinione atque auctoritate valeret, aliqua hinc Virgineae praeservationis cultorum fieret accessio. Cum igitur ad Versum illum capite 4. Totam pulchra es amica mea, & macula non est in te, pervenisset, dum sententiam hinc inde versat, dum contextum complanat, dum expositorum tricis sese expedit, dum Commentarium pro immunitate illustrem comparat, in caelestem abripitur sublimis ecclasiim. Spiritu in suprema subvectus Augustam caeli Reginam Mariam sanctissimam aethereo insidentem throno caelesti undique splendore collucentem suspicit: mox infinitam propemodum Angelorum aulam, quae in diversos partita choros, ad suavissimam musicorum instrumentorum harmoniam, illum ipsum modulabantur Canticorum Versum, quo ipse explicando, commentando, illustrando, detinetur: Totam pulchra es amica mea, & macula non est in te. Ibi multis documentis edoctus est, Angelorum Reginam a primo usque Conceptionis momento ad extremum Assumptionis vestigium, totam pulchram, cujuscuque maculae expertem, divinâ gratiâ plenam extitisse. Ecclasi solutus, sibi que redditus, eo ipso, quem praemanibus habuerat, stylo, dum praeracti Versus expositionem moliretur, adiecit: Ita est; nam & ego vidi. Fixit itaque stylum; clausitque felix diem extremum, Virginem Matrem rursus videre meritus, cui spiritum tradidit beatissimum. Vides qua ratione, & quam jure merito exaltari dicatur Beata Virgo in Mercedensi Ordine, quasi oliva speciosa in campo.

Cant. 4.

1844 Non hinc abeam, quin nonnullis aliis miraculis explicem, quam gratum Deiparae sit singulare Mercenariensis Familiae studium & obsequium in Marianam immunitatem. Igitur Melchior Rodericus supra memoratus, & Francis. Torrensis libro 5. de Beatae Virginis Concept. capite 12. insignè suppeditant miraculum in summo patrum Barchinonensi Mercenariorum Caenobio, ut ubi sacer quondam exortus est Ordo, ibi primigenia conceptae Virginis devotio impensius confirmaretur. Indulserat fortè Prior (sic Moderatorem ejusce Caenobii dicunt, quem

pulchritudo, sua, facta Religiosa.

Hieron. Carmellus.

Miraculo ostenditur Mercenariensis.

Miraculo ostenditur Mercenariensis.

ubique alias Commendatorem vocitant;) indullerat, inquam, ut Purificatae Virginis officium Matutinum sub noctem primam solveretur, ne Fratres horridiore hyeme, quae is fortasse diebus obriguerat, vel grandævi, vel etiam valerudinarii numium premeretur. Omisum interim parvum ex occasione alterum Virgineum pensum, quod singulis quibusque noctibus in honorem Mariana Conceptionis ex consuetudine esset dicendum. Media itaque de nocte, alto cum domus universa silentio teneretur, status excitandorum Monachorum strepitus datur, neque verò quae auctore fieret, unquam compertum. Accurrunt ad chorum Monachi; nec ullus cupiam relictus jam locus, alii videlicet candidati Fratres, vultibus admodum pulcherrimis, subfella omnia compleverant, Matutinaeque preces suavissime concinebant, quas in Conceptionis immaculate honorem obire ipsi consueverant, ac debuissent. Eo porro Virginis officio ritè persoluto, iis adstantibus, atque stupentibus, confestim caelestis ille chorus disparuit. Nimirum tanto edocti miraculo fore ut si mortales desint, Angeli profecto sufficerentur, qui mysterium hoc religiosè, ac perjurandè colant. Tanto scilicet studio superis est Conceptus Mariani cultus; & tanto certè debet esse universo Mercenariorum Ordini.

Aliud eodem spectans miraculum.

1845 Sed pergo gemellum aliud ex Tabulariis ejusdem Religiosae Familiae attexere miraculum. Auctores prodo optime notae eundem ibidem Francis. Torrensem, atque Joan. Mendezium in Mercenariorum Chronico. Testantur uterque simili Prioris dispensatione in eodem Barchinonensi Caenobio obvenisse, ut in die Conceptionis officium Matutinum Fratres praevertent eodem praetertu, ne scilicet rigidior noctis frigore garvarentur. Haud desuit vir sanctus, qui cum ad multam usque noctem sanctas protraxisset contemplationes, Matutinum officium in Choro decantari, audire sibi è caelo videretur. Ad insolium, ac insperatum cantum aures ille curiosus arroxit: rem ubi ita prorsus habere compertit, vicinos admonet, hi ceteros. Pergunt ad chorum certatim, alii confertum Monachis vident, qui Conceptae Virginis Matutinum personarent. An Angeli, an ejusdem Ordinis Majores simili officio sanctè olim perfuncti, qui posteros communitos voluerint, in miraculi latet majestate. Neutri quidem de caelo tulerunt, immaculate Conceptionis ferias incultas abire, quasi ipsi vel egregiè sollicitassent Angeli, vel sancti quondam Monachi piè admodum ac religiosè peregerissent.

Quam grata Deiparae, ut diei Conceptionis sua celebratas miraculo ostenditur Mercenariensis.

1846 Finio, proposito alio Immunis Deiparae miraculo, quo explicuit, celebritatem diei suae Conceptioni consecrati, sibi esse gratissimam. Refertur in Tabulariis Barchinonensibus sacri Mercenariorum Ordinis, ex quibus illud protulit Lombardica Historia editionis Argentinensis Anno 1496. Barchinone in illo Mercenariorum Caenobio totius Ordinis capite, moris fuerat, praeter Paschalia festa, & paucas alias solemniores ferias, uti singulis diebus recentes Monachis panes adponerentur. Igitur ad sanctae Conceptionis B. Virginis Mariae diem Pontifex massam strenuè subactam, probè maceratam, ritè fermentatam cum de more obrectam op. P. Ildeph. de Flores in Eccles.

periretur, jamque tempestivam taret, ad panificium accinctus reteggit. Horret tamèn novo inspecto miraculo: nam totam massam teterimo videt obductam nigrore instar concreti sanguinis, imò canosi luti faedissimam, faetidissimam. Miraculo in vulgus edito, mirantur omnes, meritas probant & laudant poenas. Ergo communi suffragio, decique senatorio omnibus in universum Barchinonensibus de furnorum usu ad Conceptionis Mariana ferias sanctè fuit interdictum in potterum. Quod ad hoc usque tempus religiosa retinet Barchino, in qua urbe Conceptionis Virgineae cultus ante omnem Patrum memoriam, upote a Patrono & Doctore Jacobo Apostolo, ut remur, acceptus constantissimè, ac sanctissime semper viguerat.

SECTIO XLII.

De sacra Minimorum Familia sancti Francisci de Paula.

1847 AD campos oliviferos, de quibus proxime dicebamus, commodè revocandum reor hunc Ordinem Religiosissimum, vitae castigatissimae integrum, multam morum sanctitate, atque doctrinâ, & honorario Charitatis titulo, sive stemmate, conspicuum. Alumna Familia est sancti Francisci de Paula, (ab anno 1450.) tot miraculis, & exemplis eximie illustris, ac decantatissimi Christiano Orbe universo; cuius ipsa instituto Sancta, urgetur impensè ad progressus in sacra via sanctiores. Vultis & Proparentem, & Filios, vocabulo Minimos, sed re ipsa Magnos, vividè descriptos cernere, ac praematurè indigitatos? Unum audite S. Gregorium Nazianzenum Monachos commendantem Orat. 1. in Julianum. Videte hos pauperes, victu carentes; hos humiles, & terrenos, & supra terrena; qui inter homines versantur, & rebus humanis sunt superiores; qui vinculis pressi, & liberi sunt; qui nihil in Mundo habent, & omnia habent, qui Mundo superiores sunt: hos, inquam, propter mortificationem immortales, propter solutionem Deo conjunctos; quorum est abjici, & quorum simul est super thronos sedere: qui nudi sunt, & incorruptibili vestimentis indumento; qui in solitudine huius saeculi, alterius saeculi frequentia, ac celebritate fruuntur; qui voluptates abjiciunt, & tamen perpetuam, atque inexplebilem animorum oblectationem habent? Certè, si attentius perpendas Religiosae vitae rationem, cui totus militat hic Ordo, multum in eo justitiae apparatus eminare inspicias; multam inedia, sed divinitus saginatam; multam asperitatem, sed placidam; multam humilitatem, sed ingenuam; multam servitutem, sed liberam; multam egestatem, sed divitem; multam nuditatem, sed vestitissimam; multam acerbitatem, sed mellem. Una Charitas est, quae exarmat tantam ærumnarum sævitiam, & quae mellis has omnes acerbitates. Ut enim egregiè S. Augustinus lib. 13. Confessionum: Verus Amor non sentit amaritudines, quia amoris soror dulcedo; sicut soror odii est amaritudo. Prae foribus, praee oculis, & in praecordiis hanc Charitatis dulcedinem Minimi habent, quae gratiae ingenio, vitam sejunio enutritam, S. f mensa

Vita ratio Minimorum. S. Nazian.

Charitas mellis omnes acerbitates. S. August.